JACOBI JACOMETTI ORATIO AD GEORG. CARD. CORNELIUM EPISCOP. PRIMO INVISENTEM...

Giacomo Giacometti, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

CUm ardua ubique provincia eſt, pro dignitate dicere graviſſimæ ornatiſſimæque frequentiæ; tum vero facit hic difficilem adeo plenamque laboris conſpectus Principis maximi, ut orationem amplitudini tantæ ac ſplendori parem nullum poſſe videatur neque ingenium, neque facultas aut exercitatio valde optanti quærentique ſuppeditare. Etſi autem ſpe bona confirmat ſingularis humanitas, quæ talem naturam comitatur, iſque jubet fidenti animo eſſe, qui magna non poſtulat niſi a ſeipſo: verecundia certe eſt, venientem ad Principem, non convenientia afferre Principis auribus, & pertimeſcendum judicium non pertimeſcere. Multo proinde minus periculoſa alea futura eſt, ſi coram te, miſſa quacunque materia earum, quæ in limine ſtudiorum repetendorum tractari ex hoc loco ſolent, dicatur de Te duntaxat. Qui enim aggre-

Digitized by Google

diatur potiſſimum laudes tuas, Cardinalis Ampliſſime, & in Te argumento verſetur; in re magni operis, hoc tamen levatur, quod, cum merita tua narrando aſſequi nemo poſſit nedum exornando, eſt illi facilis & parata venia: quando in ingenti voluntate conandi, copioſiſſimo ingenio, præſidio artis limatæ, quantumcumque contendat, ſemper imparem eſſe, ac nervis deficere, neceſſe eſt. Huc accedit Ordinis in te noſtri mirus amor & cultus: quem cum rite expromere nunc primum datum ſit, teque præſentem gratulari; nihil ſane mavult is audire libentius, quam aliquanto fuſius & uberius commemoratum id quod omnibus in ore eſt: Te ſacrorum noſtrorum moderatorem conceſſum divinitus, qui dolorem ex triſtiſſima jactura ſolareris: Te adeſſe carum omnibus, cunctiſque deſiderabilem; omnino qualem cuique fingenti ſecum formantique EPISCOPUM, voto concipere ſuccurrebat.

Atque id quidem nos & alios omnes ſentire hoc tempore, cum religione & ſanctitate verendus ades; cum gravitatem, manſuetudinem, æquitatemque cernimus oculis; cum & adeuntibus obvia facilitas eſt & pronus in merentes favor, & bonis experta beneficentia; cum mentis, conſilii, ſapientiæque ſpecimen nec leve, nec unum dediſti; abſolvam brevibus, te magnum hic haberi ac prædicari, dum magnum te facta probant: amplum hoc tibi planeque glorioſum: ad laudem tamen tuam multo præſtabilius eſt multoque illuſtrius equidem arbitror, te talem tan-

tum-

Digitized by Google

tumque creditum, omniumque concordi teſtimonio celebratum longe etiam ante, quam talem ac tantum videremus. Ita namque fere uſuvenit: ſi quid humanitus fiat Viris poſitis in ſublimi, unde plurimorum fortuna pendeat; deſtinant a primo vota publica ſucceſſorem, quem maxime vellent; ac ut multorum non idem animus eſt, non eadem mens, ita vulgo ſtudia varia ſunt, & tanquam diducta ſuffragia diſtractæque ſententiæ. Conſenſere in te tamen non tacita modo deſideria & voluntates, ſed palam etiam voces atque ſermones, Princeps optime: cumque ille eſſe deſiiſſet, cui ſuffici parem, civitatis & populi intererat plurimum, te in locum, te in munus ſurrogabant; & quamvis mittendum adhuc, & ex longo ſpatio terrarum adventurum, animis, tanquam oculis, ut adventantem jamque præſentem uſurpabant. Scilicet hominis quanta dignitas, claritudo quanta nominis! quæ nec ullis contenta finibus, circum remota procul vagaretur, lateque diffuſa luce nos quoque valde abſentes ita caperet, ut converſo in unum obtutu acieque in unum defixa, jam tum etiam, dum agebas cœlo alio, nec noſter eras, avidiſſime perfrueremur. Fama increbuerat, quæ de te ingentia perferebat: excelſos alii ſpiritus, alii capax maximorum ingenium extollebant; partim vetuſta Familiæ decora, partim majorum ſtirpem ſimillimam memorabant: qui te meminerant nondum virum, ætatem virili mente præventam; qui maturum honoribus, æqualem ſummis animum loquebantur: qui uſpiam te norant, viderant uſquam, hi & in ſpe Reipu-

Digitized by Google

blicæ reſponſuram indolem, & in ipſa Republica undique reſpondentem, magnifice commonſtrabant. Omnium inſtar de te judicium fuit, quo totus, quantuſcunque es, animis noſtris tradebare; eratque illa non modo pure & integre facta fides, ſed religio quoque ſancte interpoſita, Alma teſte & præde ROMANA CURIA. Satis namque ſpectatum in Patria, venientem quo te vocabat Deus O. M. fuerat complexa cupidiſſime Urbs Chriſtianarum gentium Mater. Senſerat extemplo, aucturum inſignite Majeſtatem Romanam: delatiſque feſtinanter honoribus, quibus alios diu præparat, ab initio videri voluit, te non feciſſe magnum, ſed accepiſſe. Romæ ergo per te cognitus, continuo tute tibi præiſti ad excelſa: meritis immortalibus tuorum, Purpurato Familiæ populo, Corneliorum nomine, quæ ibi Faſtorum pars eſt haud exigua, non ultra niteberis, quam ut nulli dubium aut obſcurum eſſet, quam te ad normam comparaſſes, quid ipſe a te, quidve genus poſtularet, & quid præſtandum utrique ſuſcepiſſes.

Hinc alia ſubinde atque alia cœpta tibi mandari: conſilium alibi, opera alibi expoſci tua: & in Urbe deferri curatio rerum potiſſimarum, & extra Urbem committi munia negocioſa & moleſta: modo Patrimonium Eccleſiæ concredi tutelæ tuæ; modo incolumitas populorum: ſtrenue procurata domi, navum diligentemque, foris ab ſuſpicione deterrima defenſi fines, ſalutarem & quaſi ſtatorem habuerunt. Mox in te vertit & incubuit major moles. Legatione ad Luſitaniæ Re-

gem

Digitized by Google

gem tibi deſtinata; commiſſa tibi ſanctiſſima Pontificis Jura apud remotiſſimas illas gentes cuſtodienda: qui campus ita patuit apertus virtutibus tuis, ut quaquaverſus excurrerent, & non ſuſpiceret modo Regnum latiſſimum, ſed etiam Summus ille Romanus Pater probaret amanter, &, quoties de te ſermo, honorifice prædicaret. Te namque nobilem, te fortem dicere; per te circumferri Romanum decus, quacunque pergeres; ornantia ceteros, ornari a te munera, quæcunque obires: ut pulcherrimum inter Honores, præmiorum apicem, appareret prope abeſſe; & id unum eſſe moræ, quod nondum aſſecutus eſſes, intelligeretur. Quare, cum agi de ſupplendo Senatu Sacro certum eſſet: non omen quoddam, ut fit, non divinatio quædam fuit, quæ te in eorum numerum vocaret; ſed firma præſenſio, & conſtans affirmatio, qui novi Cardinales in loca vacua ſufficiendi eſſent, Cornelium in his vel principe nominatione renunciandum. Quod enim vix unquam antea contigerat, ut eam Legationem exciperet iſta Dignitas, viam eo ferentem, non metam habitam: uſurpari exemplo inſolito æquiſſimum videbatur in illo, qui non ire ſenſim, non procedere gradibus, non trito tendere itinere inſtitiſſet, ſed jam meritorum anticipatione, correptiſque veluti ſpaciis, curriculum, quam ample extenditur, celeritate incredibili confeciſſet. Ergo, quod ad immortalitatem valebit in primis, præter morem, at non præter hominum expectationem, evectus ad ſumma es: prudentiſſimum Largitorem non in te ſequi uſitata paſſæ

Digitized by Google

res tuæ, annos intra paucos cumulatiſſimæ: ibi circundatum tibi Ornamentum eximium, unde jubentur cæteri pergere porro, & plura mereri.

Tunc enim vero CARDINALIS EMINENTISSIMUS datus es gentibus in conſpectum: tunc cicumfulſere virtutes tuæ: tunc amor ex admiratione affecit omnes, ita præſertim nos Patavinos, ut, quoniam famam non exæquarent, tardius ire nuncios quereremur, quos erat exploratiſſimum, non in dies, ſed in horas atque momenta, te nobis inſuper, addito alteri Honore altero, Sacrorum noſtrum Præſidem, auguſtum Epiſcopum, perlaturos. Horum ſub adventum, quæ gratulatio fuerit non diei unius, quam lætæ ſupplicationes, quam ſyncera & ſimplici voluptate geſtientes animi, quid fari attinet? Ibi quiſque ſibi faciem, ora, vultuſque ſubjicere; figuram ſibi, lineamenta, atque habitum exhibere; & ut quiſque effigiem ac imaginem vero ſimillimam, oculis, auribuſve percepiſſet, ita intueri libentiſſime, attentiſſime percurrere, ac ſine ſatietate contemplari. Ex illo depoſita nunquam de te cura, intermiſſa nunquam cogitatio: curioſius exquirere in tempora, & loca; ſollicite moras pendere, intenti quam mox in viam te dares; terras metiri, quantæ itineribus peragrandæ; noſcere cordi manſiones ipſas ac diverſoria, & audire; quam te ſalvum, quam te ſoſpitem quacunque ducerent boni Superi. Erat interea animadvertendum illud etiam, quod non leviter oſtendebat, te gratum acceptumque cuicunque generi hominum vel infimorum; quo-

rum

Digitized by Google

rum tamen ſolet eſſe candidiſſimus amor, & ſtudia fideliſſima. Cum enim auribus acciperent Luſitaniam, habitam ipſis ultra ſolis annique vias, aut intercurrentia paſſim flumina, nulli ſine diſcrimine trajicienda, aut montanas regiones, ægre ſuperandas expeditiſſimis, aut Pyrenem, aſpera præſertim tempeſtate, informem glacie atque pruinis, aut Alpium tranſitum per fœda omnia & oppleta nivibus cœlo immixtis, aut tandem ab Europæ plaga poſtrema redeunti immenſum prope terrarum ſpacium interjectum: ab ore narrantis pendebant anxii; exhorrebant ad ſubita rerum; manu ſupplice, precatione concepta, caſus humanos avertebant. Neque ante deſitum ab ullis pro te timeri, quam ſtare te ad Romanas portas, accingique ad pompam, quovis triumpho ſpecioſiorem, referebant. Alacribus animis videbamur & nos effuſe adeſſe, apparere in comitatu, albas quadrigas pone ſequi: ſpectare jucundiſſimum, &, qua te inveheres, vias obrutas multitudine conſalutantium, &, qua ſuccederes inter præconia interque laudes, agmina proſequentia ordine longo, &, qua triumphali viæ appropinquares, feſtivum exaudire ex Arce Adriana cornicines tibicineſque occinentes, modulateque tranſmittentes in grandem Aream ante Templum univerſi generis humani religione auguſtum, magnificentiæ miraculum, etiam intuentibus incredibile: &, ubi per Vaticanum ſcanderes, res optatiſſima & oculis fruenda in paucis, cernere florem Europæ lectiſſimum nobiliſſimumque te ad illud BEATISSIMUM numen deduce-

Digitized by Google

ducere: ſuaviſſimum voluptate emenda vita ipſa, avidius tota mente conſectari longo proximos intervallo, irrumpere, adſtare procul, alloquium ORIS ARCANI auribus accipere, ab uno illo congreſſu te æſtimare, quantus eſſes, & quanti fieres. Memorandum! Sacerrimus CHRISTI VICARIUS deſcenderat e ſede tanta: tulerat obvios amplexus: incolumem ac reducem benigne & comiter affatus, large extollebat, quem Ornarat: referebat bona facta: mentem conſiliumque collaudabat. CORNELIOS qui jam optime noſſet, uſus quondam intime, eo te ortum ſanguine gratulabatur, & æque ſe benevolum tibi profitebatur: jubebatque demum macte virtute eſſe, & Deo auſpice, qui te legiſſet Epiſcopum, venire Patavium, ſtabilem quaſique propriam CORNELIORUM poſſeſſionem, caducam nunquam, donec hujuſmodi ſucceſſores ex ſe præberet.

Dimiſſum pene in humeros extuleramus, ocyus aſportaturi expectatiſſimnm, cum, quæ moræ erat impatiens, pietas, eadem deterruit. Moleſtiſſimi calores ſeſe intenderant, pars anni periculoſa ubique, exitialis autem præſertim circa Romam fervoribus intolerandis. Metuebamus itaque cariſſimo capiti: magnum, heu nimium magno diſcrimen ſtare: ſerum, quam libet, adventum compenſari, ſi foret tutus. At, o Princeps, non pepercisti ipſe tibi. Non tempora incommodiſſima, non nocentiſſimi ſoles, non ſub ipſum caniculæ ortum exantlandi labores duri, PASTOREM amantiſſimum retinuerunt, quominus

nus magnis itineribus, contentiſque curſibus ad Gregem properaret, incredibilique feſtinatione ſpem, vota, cogitationemque præverteret. Nec opinantibus, inquam, ſuperveniſti, qui multo ante nos imparatos eſſe juſſeras: fueratque id primum edictum tuis, ab occurſatione quavis abſtinerent: ſumptum ne minimum quidem tua cauſa facerent: reliquum nobis feceras illud tantummodo, quod ſine impenſa exhiberetur, ſtudium animorum: quinimmo, qua præſtanti modeſtia es, ſtudiorum omne genus vetaviſſes, ſi, quam mereri, tam fuiſſet in tua poteſtate prohibere: illam certe adclamationem, plauſum, gratamque admurmurationem, quæ voluntatem in Principem teſtificantur impendio nullo populorum, ſubterfugere ac devitare etiam atque etiam viſus es, tergiverſatus aliquandiu extra muros in ſuburbanis, repertuſque libenter nullis, niſi quibus te convento opus eſſet, a privatis quibuſdam privatim aditus, quos accerſi in rem erat: ſtationem in aliam repente migrans, ubi te publice ſolertiſſimus tuorum amor deprehendiſſet; contra tendens obfirmate, quoties prope eſſet, fuit autem ſæpe, ut non jam multos mortales, civiumque catervas, jam univerſos excitos undequaque, ac propemodum convulſam urbem ſedibus, caritas eadem effunderet. Jamque mœnia intraturus, extremum diei oppertus ultro es: propoſitum tibi per ſilentia noctis ſubrepere inſcientibus, neque ſentiri; cum tamen ſplendor clariſſimæ gloriæ etiam nolentem proderet, diſpunctiſque tenebris, aperiret in luce plurima, daretque largiter

ſpe-

Digitized by Google

ſpectandum fruendumque. Volebas tu nihilominus celari, ratus eam demum pulcherrimam ſpeciem tui, quæ, media tantum nocte illa, bene mane te oſtentaret verſantem inter Eccleſiæ tuæ graviſſimas curas, promptum atque paratum confluentibus, ſupplicum excipientem libellos, reſpondentem rogantibus, & conſulentibus Autorem ſummum, expedientemque, in quid quiſque acceſſiſſet. Solicitudo tua in eo tuumque eluxit ingenium. Ne hora quidem, agendo opportuna, remorata eſt initia rerum; non, quæ honeſtiſſime eſſe poterat, ſaltem dum te confirmas ad labores, laxatio aliqua; non, quæ fortaſſe etiam neceſſario, ab incommoditate varia brevis quies; non illa, cui natura ipſa multum indulget, benevolentia conjunctiſſimorum, longo intervallo reviſentium, quidquam de recentiſſimo illo tempore delibarunt. Totum noſtrum fuit, aut, quod ſuperfuit hinc, tributum illis.

In hac operoſa vehementique ſedulitate, cum vix te inſtruxeras ad incœpta, ſubibat mirari & & alterum, mirum tamen, præterquam in te uno. Quis enim unquam præſentium rerum experientiam tam compertam, cognitionem tam exquiſitam, ſcientiam tam exploratam requiret in ullo, quem & negotiis penitus immiſcuiſſet aſſiduitas, & agentem multa, docuiſſet multa ipſa dies, & verſaſſet in partes omnes diuturnus uſus, quantum tu attuliſti ad hæc nova, quæ utique attigeras ante nunquam: ut tametſi ad plurima & maxima fecerant res per te geſtæ callentem omnimodis, ſed tamen oporteret, propter ſingula-

rem

rem quandam intelligentiam, mentem exaggeratam, acumenque pene divinum, tam proprie, tam ſubito, tam ad hæc omnia ſapientem judicare? Adeo non illa fuere principia adminiſtrationis tuæ; ubi te ſtatim videbamus cuncta pervadere, non videramus ingreſſum: vix gubernaculis admotum, vixque digreſſum a primo littore, proſpere feliciterque altum habentem: qua commodiſſime, qua optime regeretur, ea ſcienter, ea ſtrenue velificantem: tantum ut oculos circumferres, non abdita, non fallentia te latebant: mari hactenus intentato, haudquaquam decurſu prono, nihil non proviſum ſedulo, nihil non præceptum apte eſt. Mortuo GREGORIO CARDINALI BARBADICO, (qui iterum ac ſæpius fore prædixerat, ut tu ſibi in Epiſcopum ſubſtituereris, quique mentionem quamlibet de te injectam ab aliis, ipſe vertebat ad laudem virtutum tuarum) poſt igitur mortem hujus, non ſecus atque in agro vel curato diligentiſſime, ſi tantiſper cultura remittatur, illico mala gramina ſubnaſci ſolent; prava quædam in diſciplinam morum extiterunt, quæ novi cultoris operam poſtularent. Iſthæc vix dum enata repreſſiſti autoritate omnibus verenda, quibuſdam timenda: edictumque & ſevere cautum, ne quid a veteribus inſtitutis declinaretur, neve in re aliqua leges a BARBADICO conditæ, & decreta ab eo promulgata violarentur; lapſa in deterius, depulſa quamvis labe, ad priſtinam conſuetudinem quam ocyſſime revocavit. Deliberatum enim tibi eſt, quod etiam præ te fers, quid-

Digitized by Google

quidquid Cardinalis ille eximius, per triginta tres annos, quos Epiſcopus noſter fuit, in regenda Eccleſia, præcipiendo, prohibendo, monendo, hortando, conſtituerit, nihil abrogare, mutare nihil, ſed quoad per res & tempora liceat, Acta ejus ſuſtinere, defendere, cuſtodire cum honore & memoria ſempiterna: atque icciroo etiam, ut rari ingenii & inſueti exempli Principem, te ſapientes mirifice efferunt, quia ANTECESSOREM MAGNUM SUCCESOR MAGNUS ſic amas, ſic ornas.

Oh diligat ergo benigniſſimus & clementiſſimus Deus animum iſtum, tam probe imitantem divina: oh provehat in melius felicitatem, quam virtute tibi facis, Princeps bonitate abſolutiſſima: toto floreas ævo, tam diuturno tamque integro, quam factis promereris. Oramus id inſpenſe, precamur enixe. Te præſente cuſtode rerum, gratulantur quotquot communi fortunæ bene optant; gratulamur nos gaudio præcipuo, ad quos redundat magna pars beneficentiæ tuæ. Perfunctæ malo non uno Muſæ noſtræ, te conſervatorem, te vindicem conſalutant: lætioreſque ab ipſa macie, velut ægritudine in florem juventæ renovatæ, per me venerabundæ ſiſtunt ſe Solio tuo, traduntque cum rebus ſuis in tutelam tuam; & rogant, ut ex iſto faſtigio Dignitatis recipias volens ac libens, & ex culmine poteſtatis imperes ſartas & tectas rationes ſuas; ſcholas, diſciplinas, altiores, inferiores, majores, minores, ſeveras, mites, numerum, diſtributionem, mandes in ſtatum legeſque priſtinas, coercendumque triſtius,

ſi

Digitized by Google